

In xvj. capitulo tractat de sulphure et eius naturis : et qualiter habeant ignem de sulphure qui durabit semper, aut per biennium : & quòd sulphur intrat in calce facienda tantum : & quòd multi ponunt sulphur pro lapide, & de aquila, & gallina, & quòd lapis huius magisterij vnus est. Agit etiam de correctione filij, & quòd secretum verum huius magisterij est sanguis, oua et capilli: et hi sunt veri lapides, et non alij, quamuis alij nominentur. Agit etiam de correctione filij, et quòd argentum viuum potest colorari cum sulphure, et de luna coloranda in solem, et quòd sulphur rubeum non est nisi de subtus terra, et de probatione sulphuris.

In xvij. cap. tractat de auripigmento, et vbi dicimus mitte auripigmentum, intelligatur ignis, et quòd quatuor sunt quæ se sublimant, auripigmentum, aurum viuum, sal armoniacum, et sulphur, et qualiter per nomina spirituum intelliguntur elementa.

In xvij. capitulo tractat de sale armoniaco, et quòd sal quidem armoniacum fit de aqua, et quòd per magnas partes frangitur, melius est in hoc opere : et quomodo soluitur armoniacum, et quòd in multis magisterijs prodest sal armoniacum, et quòd aurum quod inuenitur in arena, est melius quàm illud quod fit de herba, et de indurâdo mercurio, et quomodo corpus acrum preparatur.